C est fomentum ijs quæ citra morsum exiccari postulant. Cataplasmatis etiam modo illitum exiccare potest, attamen admodum friabile est, proinde difficilis est eius in
Panis ex milio. cataplasmatis usus. Panis ex milio exigui est alimenti & refrigerantis. Constat insuper pręaridum & instar arenulæ aut cineris friabilem esse: caret enim penitus glutinoso pingui: iure itaque aluum humentem desiccat. Milium tamen ad omnia panico præstantius, nam & suauius editur, facilius concoquitur, uentremq; minus cohibet, ac magis nutrit. Huius farinam lacti incoctam esitant, ueluti triticeam agricolæ: clarumq; est id edulij tanto quàm illa quę per se sola sumuntur melius esse, quanto lac milij natura ad boni succi procreationem, aliaq; omnia eminentius habetur. Dico autem alia omnia, concoctionem, uentris subductionem, in totum corpus distributionem, adeoq; ipsam in edendo suauitatem ac uoluptatem.

EX PLINIO.

Milio sistitur aluus, discutiuntur tormina, in quem usum torretur antè. Neruorum doloribus & alijs feruens in sacco ponitur, neque aliud utilius, quoniam leuissimum mollissimumq; est, & caloris capacissimum. Itaque talis usus eius est ad omnia quibus calor profuturus est. Farina eius cum pice liquida, serpentium & multipedæ plagis imponitur.

EX SYMEONE SETHI.

Difficulter concoquitur, uentrem sistit, parumq; nutrit. Iuuat eos qui refrigeratione & exiccatione uentriculi indigent. Sumptum cum lacte, uel amygdala thasia facilius concoquitur, & humidius fit.

DE CRAMBE SATIVA. CAP. CLVII.

D

NOMINA.

KPAMBH ἥμερος græcè, Brassica satiua latinè, officinis & uulgo Caulis, Germanicè Kól appellat. Crambe Grecis dicta censetur quasi κρᾶμβη, quod pupillas oculorum, quas Greci κόρας uocant, obtundat, hebetetq;. In qua certè sententia fuisse Columellam hoc eius de cultu hortorum carmen testatur:

Nunc ueniat quamuis oculis inimica Coramble.

Attici integro nomine κράμβην protulerunt, alio sed pōtiore etymi sensu, quasi κορῶ ἀμβῶ, uel rectius ἀνῶλβη, id est, crapulæ satietatiq; contraueniat. Nam uino aduersatur, ut inimica uitibus. Antecedens in cibis ebrietatem arcet, & postea sumpta crapulam discutit.

GENERA.

Etsi plurima sint Brassicæ genera, ut ex ueteribus rei rusticæ scriptoribus liquet, quatuor tamen duntaxat, quæ hodie usitatæ sunt, producemus: quarum una Græ-
Brassica leuis. cis λάπα, hoc est, leuis nominatur, grandibus & latis folijs, caule magno: Germanis breiter oder grosser Kól uocatur. Altera crispa, quæ à similitudine apij σελινοειδὴς,
Apiana. id est, Apiana nuncupatur. Vulgo crispus caulis, Germanicè krauser Kól. Ter-
Crambe. tia propriè uocatur Crambe, minutioribus caulibus, & tenuioribus folijs, flore luteo, Germanicè kleiner Kól/ ut ab alijs discernatur, nominari potest, aut simpliciter & sine adiectione Kól. Quarta sessilis est, folio & capite patula. Vulgus caputos caules, quasi capitulatos appellat, quoniam in capitis formam extuberant. Folia enim horum in orbem glomerantur, exterius callosa & per ambitum rugata, multis intus carinarum uoluminibus, externis semper interiora complectentib. Huc
Capitata. alludentes Germani Cappißkraut uocant. Nonnulli à candore foliorum Brassicam albam, & caules albos appellare maluerunt. Hoc genere Brassicæ in plerisque Germa-



BRASSICAE PRIMVM GENVS.